

suum, ut pro illo satisfaceret, et ad viam cœli gradiendam verbo et exemplo illum provocaret: dedit ei pretium et pignus beatitudinis, gratiam suam, imo seipsum ei inhabitantem; unde S. August. in I. Joan. IV. ait: *Ama eum, qui in te cepit habitare*: dedit ei sacramenta, quibus gratiam augere et perditam recuperare queat. Jam si tanta accepit homo a Deo, quomodo amantem non redamat? At non videmus bestias etiam feroces, ursos et leones amare eos, a quibus aluntur et foventur? At non ad eorum pedes se abjiciunt, cum eis saltant, ad luctam cum eis descendunt?

Secundum, caput est majestas amantis. Non enim est rex terrenus sed cœlestis, æternus, infinitus et immensus. Et si in aulis principum plerique tot laboribus favorem principis venantur quia inde vel honorem vel emolumentum sperant, quanti censeri debet favor et gratia Dei.

Tertium, personæ, quæ amatur, utilitas, ingratitudo et perversitas. Est enim homo inter creaturas rationales infima, brutorum socia, errorum tenebris oppleta, peccatorum maculis fœdata: et tamen multis amoris argumentis, ipsis angelis præposita.

Quartum, modus diligendi paternus. Primo enim, vult a nobis vocari pater, et in filios nos adoptat: secundo, demittit se ad infima nostra, et ubi major est miseria, magis opitulatur: tertio, prævenit sæpe egentes, antequam rogetur, gratis prævenientibus: quarto, plus dat sæpe quam petatur: quinto, dat etiam malis et ingratis.

Quintum, finis dilectionis. Non enim sui commodi causa, sicut principes mundi, diligit hominem, sed ob commodum hominis: deinde, semper diligit; dilexit ab æterno, Jer. XXXI. *In charitate perpetua dilexi te*: denique, nullo momento cessat hominem diligere, quia nunquam cessat ei benefacere. Ergo æquum etiam est, ut homo quoque nunquam desinat eum diligere. Parum enim peteret, qui diligi a te peteret, quamdiu tibi benefacit. Rursum si diligit nos gratis; æquum etiam est ut sic diligamus Deum, licet nullam daret mercedem: si diligit nos liberaliter profundendo in nos bona sua, diligamus eum similiter fortiter et ex toto corde.

III. Quia tuus est, per similitudinem videlicet et relationem, quanta esse potest inter creatorem et creaturam. Nam primo, tuus est o homo, quia tuum prototypum, et tu imago ejus; tum quia creatura intelligens, tum quia imperator orbis et quasi Deus quidam terrestris, ab eo factus es, tum quia ex vi hujus imaginis obtines

capacitatem quamdam infinitam quæ non nisi ab ipso Deo summo bono impleri potest. Unde dicere potes, Deum esse tuum ac deberi tibi: sicut hoc vas, v. g. requirit hoc operculum, pro hoc vase factum; alteri non quadrat. Et sicut sigillum impressum, nulli alteri sigillo quadrat, nisi ei, a quo expressum est; ita imaginis divinæ capacitas in homine, a solo Deo repleri potest. Denique, quia filius Dei adoptivus, gratia velut imagine ejus altera et supernaturali insignitus.

Secundo, quia tuus conservator, a quo intime dependes. Quemadmodum enim rami a radice et trunco pendent, ut sine ipso vegetari nequeant, et iris expressa in nube a sole: ita vita tua a Deo pendet; ut non immerito dicere possis, Deum esse vitam tuam. Quare sicut hedera, quia ex se consistere et surgere in altum nequit, arborem amplectitur tot quasi brachiis, quot fibris, et ita sursum emergit; ita et tu Deo tuo adhærere per amorem debes, ut in altum beatitudinis supernæ scandas; quod sine eo nunquam efficies.

Tertio, quia tua merces et finis ultimus, in quem naturali inclinatione tendis. Quod enim Abrahamæ dixit Deus, Gen. XV. *Ego merces tua magna nimis*: hoc tibi dictum existima, ut scilicet aliam mercedem non requiras, quam Deum. Ergo uti magnes naturali impetu fertur ad septentrionem, nec prius conquiescit, donec illum contueatur: et sicut elementa maximo conatu ad centrum suum feruntur, et fortissima quæque obstacula perrumpunt, donec id attingant: ita amor ad finem suum ultimum ferri, imo rapi debet. Itaque mirandum est, si quis non diligit Deum, mundi amore impeditus. Ut enim mirum esset, si magnus aliquis lapis in aere pendulus teneretur a palea: ita mirum etiam est, si homo a Dei amore detineri se patiatur ab aliqua creatura.

CONCIO III.

INCITAMENTA AD DILIGENDUM CHRISTUM.

I. Quia summe amabilis: 1. Forma. 2. Loquela. 3. Virtutibus. — II. Quia summe dilexit nos: 1. Quia in gratiam nostri homo factus. 2. Quia noster doctor et magister factus. 3. Quia noster cibus in eucharistia, et ibi declinat ad nos. — III. Quia homo similis nobis.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum. Matth. XXII.

Vulgatum axioma est amorem descendere, non ascendere. Testatur experientia in parenti-

bus, a quibus amor vehemens descendit ad eorum liberos sed non pari vehementia a liberis ascendit ad parentes. Hinc parentes thesaurizant liberis, non liberi parentibus. Idem fateri debemus contingere Christo Domino, communi nostro parenti, cujus amor ad nos quidem descendit, sed non vicissim a nobis ad ipsum. Arsit nimium quantum Christus amore nostri: nos in redamando heu nimium frigemus. Magna ingratitudo, magna et ignominia nostra. Sed quod huic malo remedium? Apud S. Luc. XII. ait Dominus: *Considerate corvos quibus non est cellarium neque horreum et Deus pascit illos.* Scribit Plin. I. X. c. XLIII. et Ælian. I. II. c. XLVIII. visum esse corvum, lapides congerentem in situlam, in qua aqua pluvia durabat, ut hac lapidum congerie aqua, quam alioquin rostro attingere non poterat, assurgeret potaturo. Imitemur nos hanc industriam et ut amor noster ascendat ad redemptorem nostrum, injiciamus in cor nostrum aliquos lapillos, quibus assurgamus ad redamandum illum, quandoquidem, ut dicebat S. Antonius, amori Christi nihil anteponendum est.

Dicimus alias tria esse quæ in nobis amorem excitant: objectum ipsum amabile, similitudo aliqua inter amantem et amandum, amor reciprocus. Omnia hæc uti in Deo, ita et in Christo sunt et urgent nos ad amandum ipsum, nec obscure insinuantur verbis illis: *Diliges Dominum tuum.* Est enim Deus; en objectum amoris: est Dominus; en amor reciprocus: est noster; en similitudo. Quare:

I. Diligendus Christus, quia summe est amabilis, non qua Deus tantum (quo respectu amandum esse super omnia, velut summam bonitatem, summam sapientiam, summam potentiam, summam clementiam, summam majestatem, alibi ostensum); sed qua homo etiam, nam ut sic etiam est quodammodo Deus corporeus, quia in ejus humanitate velut in speculo relucet divinitas et continetur plenitudo omnium gratiarum. Facit autem amabilem forma imprimis et decor, juxta proverbium quod celebrat Plato, in Lyside: *Quod pulchrum est, amicum est.* Exceluisse autem Christum formæ elegantia, dignitate oris et vultus, communis est theologorum sententia apud Pinedam, de rebus Salomonis, I. V. c. III. et indicatur Psal. XLIV. ubi dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ob quam causam inter alias existimat S. Hieronymus ad Principiam, apostolos tam cito eum secutos esse. Et propterea etiam tanta contentione adhæsisse illi turbam existimat S. Chrysostomus, homil. XXVIII. in Matth. VIII. super id Marci V. et Luc.

IV. *Detinebant illum ne discederet ab eis: et: Quia omnes quærunte te. Erant ei affixi, inquit, non pauci amantes admirantesque ipsum, videreque semper cupientes. Nam ut faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse, etc.* Et si cum adhuc mortalis esset, tanta oris venustate fuit, ut videntes ad sui amorem trahere posset quanta existimamus fuit in resurrectione, et erit nunc in gloria, ubi vultus sui decore sanctorum oculos beat?

Deinde, amabilem reddit gratia loquelæ seu eloquentia, quam etiam in Christo summam fuisse colligitur ex eodem psalmo cit. ubi dicitur: *Diffusa est gratia in labiis tuis*: et testatur Sanctus Lucas, cap. IV. dicens: *Mirabantur in verba gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. Procedebant, inquit, velut omnibus prudentiæ membris et numeris constantia, quemadmodum solemus dicere. Idem patet Joan. VII. ubi missi apparitores ut eum caperent et ligarent, capti sunt ab ipso, sermonis ejus virtute: dicebant enim pontificibus: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Petrus et discipuli ab ejus ore pendebant, ut discedere non possent: Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes, aiunt Joan. VI. Hinc S. Birgitta, in suis revelationibus scribit Judæos in suis desolationibus ad Christum perrexisse, ut ab illo levamen caperent. Dicebant enim: *Eamus ad filium Mariæ, ut tantisper consolemur*: et S. Bernardus, serm. de omnibus sanctis: *Adhærebant ei, inquit, affatu pariter et aspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis et facies decora est, etc.**

Denique, amabilem faciunt virtutes: æque imprimis, quæ in conversationem hominum veniunt, uti affabilitas, humilitas, innocentia, clementia, misericordia, etc. At vero quid Christo erat affabilius et humilius, qui etiam parvulos ad se venientes amicissime accepit et complevans eos imponensque illis manus benedicebat eos? Marci X. qui leprosos etiam non alloqui modo, sed et tangere non dubitavit? Qui afflictos verbo erigere et suavissime consolari solebat, ut cum dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, et viduæ filium lugenti: *Noli flere?* Qui discipulos suos compellere fratres et filios? Qui ad ægros et servos ire non dedignatus erat: *Ego veniam, et curabo eum?*

Quid ipso innocentius, qui peccare omnino nequivit? Qui non modo nemini nocuit, sed nocere etiam volentes discipulos suos corripuit? Mansuetudo ejus incredibilis fuit, juxta Isaïæ prædictionem, c. XLII. *Calamum quassatum non conteret et limum fumigans non extinguet.* Nam cum Pharisæi invidentes ejus miraculis consilium ini-

rent, quomodo eum perderent, cessit eorum furori, indeque recedens plurimos sequentium se sanare perrexit, Matth. XII. Nonne arundo quassata fuit adultera illa (Joan. VIII.) deprehensa in facinore, accusata a Judæis et ad necem postulata? Cujus tamen crimen non extulit spectandum populo, sed ita depressit, ut se inclinans digito scriberet in terra, sed quid? *Sane Pharisæorum accusationem*, inquit Pineda, de rebus Salom. lib. VIII. cap. V. sect. IV. *facile delendam utpote signatam in monumento pulveris minime diuturno*, quasi hac scriptione vellet dicere: Bene est; ego hanc vestram accusationem tabulis inscribam, sed talibus ubi facillime delebitur. Sed vide ejusdem clementiam in mulieris absolute: *Mulier*, inquit, *ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit?* Illo respondente: *Nemo Domine. Nec ego te*, inquit, *condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare.* Alii dicunt, ideo se inclinando in terram scripsisse, dum mulier accusaretur, ut velut aliud agens dissimularet accusationem, nec attendere videretur his quæ dicebantur. Dilapsis vero accusatoribus erexit se. Quod admirans S. Ambrosius, epist. LXXVI. ait: *Vide clementiam Christi cum accusatur mulier, caput Christus inclinat: elevat autem ubi defecit accusator: ita nullum damnari vult, absolvi omnes.* Denique, se de hostibus suis adeo non ultus est, ut ne mentionem quidem ullius injuriæ fecerit post suam resurrectionem, quemadmodum et latronis blasphemiam, nulla reprehensione vel comminatione redarguit, sed surda aure pertransiit. Ad extremum nihil eo liberalius erat: omnibus aperuit sinum misericordiæ, quidvis illis daturus: *Quid vis, ut faciam tibi?* dicebat euidam. Neminem a se dimisit, qui postulata non impetrasset. Talis est dilectus noster, ut reliqua omnia taceam. Et quis hunc virum non amabit? Quis eum cum turba illa non rapiat, et constituat sibi regem?

II. Quia summe dilexit nos, et tantis obruit beneficiis, ut iis quasi vinculis homines ad se vicissim diligendum traxerit, uti prædixit per Oseam, c. XI. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum, ut vesceretur.* Quibus verbis indicari videntur primaria Christi beneficia nobis collata.

Primum, quo amore nostri et pro nobis factus est Adam, id est, homo, caro et frater noster, adeoque infans, nudus, vagiens eaque tolerans, quæ nos mortales sustinemus: famem, sitim, frigus, æstum, etc. Quanta sunt hæc? Creatorem ad plasmata sua de cælo in terram descendere? Ex maximo minimum, ex Deo hominem, ex

omnibus quodammodo nihil fieri amore solius hominis?

Secundum, quo doctor et ductor noster esse voluit, verbo et exemplo, imo et morborum nostrorum medicus, quæ beneficia jure vocamus vincula charitatis. Quis non trahatur in amorem sui magistri, ducis, medici, præsertim si intelligat eum esse nobilissimum, sapientissimum, humanissimum, qui non qualemcumque artem, sed omnium nobilissimam viam cæli docuit: non qualemcumque sed stupenda exempla edidit: non qualescumque sed incurabiles, corporis et animi morbos curavit: quique infirmi gratia e remotissimis terris venit? Sed hæc omnia vincit charitas illa, qua pro miseris et moribundis hominibus suam ipsæ vitam posuit, ut eos vita donaret. Et huc videntur pertinere illa verba, quæ adjungit Oseas: *Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum* (septuaginta interpr. vertunt: *Ero eis quasi dans alapas homo super maxillas ejus*.) Quid vero hoc sibi vult aliud, quam quod apost. II. Cor. V. ait: *Charitas Christi urget nos?* Solemus urgere ad currendum vel citius progrediendum equos elevando frænum et cum fræno eorumdem ora verberando: necnon palmis et poppysmatibus eorum colla feriendo, ut se nutibus nostris accommodent. Idem fecit Christus, ut feroces homines ad sui amorem traheret, quando ipse nostri causa flagellis et alapis cædi, jugum crucis in suos humeros elevare et demum in eam exaltari voluit. Quando enim audimus Dei Filium pro nobis flagellatum, alapis cæsum, jugo crucis oneratum fuisse, ut amorem suum erga nos testatum faceret: annon flagella et alape illæ feriunt cor nostrum, monentque, ut redamemus tantum amatorem? Jugum item crucis ejus, ut suavi amoris jugo colla nostra supponamus? Audi S. Bernardum, serm. XXIX. in Cant. « Super omnia, ait, reddit te mihi amabilem, bone Jesu, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis: hoc enim amorem nostrum sibi vindicat. Hoc, inquam, nostram devotionem blandius allicit, justius exigit, arctius stringit et vehementius afficit. » Quæso te, quid illi deberes, quantum illum amares, qui te acerbissimis in doloribus et variis morbis detentum ita solaretur: Bono animo esto, ego dolores tuos excipiam et in meo corpore luam, tu vero meam accipe sanitatem, et vive? Non tu hunc Salvatorem tuum tota vita coleres, et effective semper amares? Fecit aliquid ejusmodi S. Catharina Sennensis, quando penas patris sui in purgatorio constituti ex divina concessione in suum dorsum transtulit, ita ut laterum dolores vita sustineret,

quemadmodum in ejus vita legimus. At quanto majus est, quod fecit Christus? Neque enim nos a corporis sed animæ morbis ac doloribus istis que non transituris sed perpetuis, et ita liberavit, ut quod nobis ferendum erat, ipse pro nobis tulerit, juxta id Matth. VIII. et Isa. LI. *Ipse infirmitates nostras accepit, et agrotationes nostras portavit.* Fierine ergo poterit, ut gratiam hujus nostri fidejussoris, qui dedit pro nobis animam suam, aliquando obliviscamur? Eccles. XXIX. Et ad alias creaturas amorem nostrum vertamus? Scribit Xenophon, de Tigrane Armeniæ rege, fuisse aliquando eum una cum sua conjuge in vinculis Cyri regis, a quo Tigranes interrogatus, quo pretio paratus esset conjugem redimere, respondit: *Dabo pro illa vitam libenter.* Placuit Cyro hæc vox, adeo ut ambos libere dimitteret. In itinere rogavit conjugem Tigranes, qui placuisset illa Cyri humanitas? Cui illa: *Non ego in Cyrum oculos converti, sed in illum, qui dicebat se vitam suam me redempturum.* Audi hoc, Christiane, sponsa tu es Christi, qui non verbo dixit, se vitam sanguine suo a vinculis gehennæ te asserturum, sed reipsa asseruit. Quomodo igitur tu non ad illum solum oculos convertis, qui vitam pro te dedit? Quomodo ad mundum, carnem et diabolum oculos tuos jacere potes, et a salutari tuo avertere? Quomodo præter ipsum admittere amatorem alterum?

Tertium, quo seipsum nobis in eseam reliquit sub venerab. eucharistia, quem amoris divini apicem tangit Oseas, eum dicto loco subdit: *Et declinavi ad eum, ut vesceretur.* Loquitur ad litteram de manna, quo aluit in deserto Hebræos: allegorice notat eucharistiam qua nos pascit in Ecclesia: unde S. Hieronymus in eum locum ait: *Declinavi (ego Christus) ad eos, id est, dedi eis esum corporis mei, ipse et cibus et convivium: declinavit autem ad nos, et declinat adhuc quotidie.*

Primo, dum ad vocem sacerdotis de cælo descendit quotiescumque evocatur in altare, et eum volumus, etiam sub tecta nostra ingreditur. Quia enim videt nos in conspectum ejus venire non posse quamdiu in mundo sumus, venit ipse ad nos. Multo magis accenditur amantis affectus, cum dicitur: *Ecce hic vbi dilectus tuus, quam si dicatur solum: Non longe est a te. Jam vero in eucharistia digito ostendere dilectum nostrum possumus.*

Secundo, dum gloriam et splendorem suum, quem alioquin habet, tam vili et exiguo tegumento, qualis est species panis et vini, abscondit et includit, ob bonum et meritum nostrum. Qua ratione magis exinanire se potuisset, et amorem suum ostendere?

Tertio, dum non alio fine nisi ut cibus noster sit, et in medio nostrum habitet, nobisque intime uniatur, ad nos descendit. Quod præclarius et efficacius amoris philtrum adinvenire potuisset amor et amator noster? Et quis illius philtri energia non incalescat? Verum cibus iste pignus tantum est æternæ illius cœnæ, quam præparavit servis suis; ibi saporem explicabit et dulcedinem suam, quam hic absconditam gerit.

Diligendus ergo Christus, quia Dominus noster, qui emit nos, et pascit nos, et in cælo remuneratur.

III. Quia homo similis nobis factus est, non necessitate sed voluntate et amoris impulsu. Unde David vocavit eum proprio nomine *Dominum suum: Dixit Dominus Domino meo; uti convincit Christus Judæos in hodierno evangelio: et alibi in ss. litteris vocatur proprie Deus noster, uti Deut. VI. in Hebræo textu: Audi Israel, Deus, Deus noster, Deus unus est: et Psal. LXVI. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* En mysterium Trinitatis et mediam Personam, *Deum nostrum* proprie vocatum uti etiam agnoscit Ecclesia, quæ vulgato nomine vocat eum *Dominum nostrum: velut in symbolo apostolico: Et in Jesum Christum Filium ejus, Dominum nostrum: noster autem est:*

Primo, quia pater noster; sic enim appellatur Isa. IX. *Pater futuri sæculi;* tum quia nos morte sua peperit ad gratiam, quæ est vita animæ; tum quia nos doctrina sua evangelica instituit ad vitæ novitatem et sanctitatem; tum quia nobis meruit hæreditatem vitæ æternæ. Ne vero existimes titulum hunc honoris tantum esse, dicit apostolus ad Gal. IV. missum a Deo in nos eundem Spiritum sanctum, qui habitavit in Christo; ejus instinctu possimus secure ad Deum recurrere sicut filii, et clamare: *Abba Pater.*

Secundo, quia noster frater per humanitatem nostram a se assumptam. Hinc enim ad Rom. VIII. vocatur ab apostolo *primogenitus in multis fratribus:* et ipsemet Joannis XX. vocat *discipulos fratres suos.*

Tertio, quia est sponsus noster, per fidem enim et baptismum nos sibi desponsavit, et annulo gratiæ suæ subarrhavit. Magnus est amor fratrum, major filiorum et parentum, maximus autem conjugum. Quare licet Christi charitas non aliunde nos urgeret ad eum redamandum, urgeret saltem hinc, quod cum natura sua Deus esset, ex mera gratia et benevolentia frater noster fieri voluit, ut paternam suam hæreditatem nobis communicaret, et divideret nobiscum. Solent alii fratres ob communem hæreditatem sibi mutuo invidere, tametsi paræ conditionis sint, uti Esau Jacobo, Cain Abeli, Romulus ur-

bis conditor, Remo fratri, quem occidit. Contrario modo Dei Filius, ut paterna sua bona nobis, quibus non debebantur faceret communia, in nostram fraternitatem se insinuavit. Quod si hoc parum adhuc videtur, obligamur illi ut patri, qui non tam facile nos recreavit, quam facile creavit; neque enim verbo uno, se plurimis et immensis doloribus, ipsaque morte sua vitam nobis emit, qui ut spraculum vitæ nobis insufflaret, spiritum ipse reddidit. Et si hoc necdum tibi satis est, scito Christum esse sponsum tuum, qui te amat, ut carnem suam, et proinde simili modo a te amari vult. Nec vero is exigua te dote sed sanguine suo emit, ut jure ei dicere possis quod Sepphora dixit Moysi (Exod. IV.) *Sponsus sanguinum tu mihi es*: tum quia ejus sanguine emptus es, tum quia sanguinem potius fundere, quam offendere eum deberes. Nec interest, quod præter te alias habeat sponsas. Ut enim sol dum omnibus splendet, non minus tibi splendet, quam si soli splenderet: ita etiam Christus, licet præter te alios amet, non ideo tamen minus te amat, quia infinitus et inexhaustus est. Jure ergo S. Cyprianus, serm. de ascens. ait: *Quid amplius vis o homo! Prius dicebatur Deo: Tuus est homo: nunc dicitur homini: Tuus est Deus.* Ex quo concludit: *O homo sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Si cui vero omnia hæc necdum cor accendunt igne amoris Christi, næ illum ferreum esse oportet, et marpesia duriolem, ideoque ab Ecclesia merito excludendum juxta apostoli decretum, I. Cor. XVI. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* E contra ex ejusdem sententia, ad Ephes. ult. ait: *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum.*

CONCIO IV.

QUOMODO SIT DILIGENDUS DEUS.

I. Diligendus est amore supernaturali. — II. Diligendus propter se. — III. Diligendus est super omnia. — IV. Constante est diligendus, etiam in tribulationibus. — V. Diligendus efficaciter.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
Matth. XXII.

Subtiles et præcellentes artes, pluribus annis addiscendæ sunt. Subtilissima et præstantissima ars est amare Deum, ideo *mandatum magnum* vocatur in hodierno evangelio. Et S. August. in lib. de spiritu et littera, c. ult. scribit, hanc ar-

tem non absolvi nisi in altero primum sæculo. Quare, auditores, tempus est, ut incipiamus discere hanc artem, sine qua Deo placere non possumus: *Ars longa, vita brevis est.*

I. Diligendus est primo, non solum ut auctor naturæ, sed etiam gratiæ et gloriæ, atque adeo amore non tantum naturali, sed etiam supernaturali. Quia enim nullum bonum diligitur nisi prius cognitum, fit ut pro diversitate cognitionis resultet etiam amor alius atque alius. Gentiles philosophi cognovere Deum cognitione naturali, inspectis nimirum creaturis. Unde Cicero, lib. de arusp. resp. ait: *Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cælum, deos esse non sentiat?* Christiani vero cognoscunt etiam cognitione supernaturali, ut creatorem, redemptorem, trinum in Personis et unum in essentia, tamquam summum et perfectissimum bonum, præsentem in eucharistia, sanctificatorem animarum, judicem omnium nostrum et præmiatorem beatorum, vindicem reprobatorum, etc. Hæc cognitio multo illa præstantior est quam reverentia exhibita regi, apprehenso ut rex est, vincit eam, quæ defertur ei, quando magnus tantum nobilis esse creditur. Cum ergo Christiani nobiliori hac et sublimiori ratione Deum agnoscant, tenentur eundem nobiliori modo amare, adeoque ut auctorem non tantum naturæ sed et gratiæ. Si quem pro viro nobili habeamus, sufficit si ut nobilem honoremus et caput aperiamus: at ubi regem esse agnovimus, non sufficit honorare ut nobilem, sed oportet venerari ut regem, genua submittere, etc. Similiter si quem putas cognatum esse tuum, sufficit si ut cognatum diligas: at ubi noveris esse patrem tuum, majorem utique debes illi amorem.

II. Diligendus est propter se, et alia omnia propter ipsum. Propter se, inquam, ut videlicet nec solum nec præcipue diligatur propter beneficia temporalia vel æterna, quæ confert aut colatur speratur (hic enim amor mercenarius, ignobilis et inconstans est, adeoque Deo indignus, quia summo bono proponit vilia bona, ordine perverso); sed ut diligatur propter suammet perfectionem infinitam, bonitatem, sapientiam, misericordiam, justitiam, potentiam, majestatem, quia sicut suam bonitatem, sapientiam, etc. ab alio non habet, sed a se: ita propter alia diligere non debet, sed propter semetipsum. Aliud est, cum aureum numisma amatur propter principem, qui id donavit: aliud, cum princeps amatur propter numisma. Amor hic ignobilis est, ille nobilis. Hoc titulo laudat Cæsarem Martialis, l. VIII. epig. LI. *Diligeris populo non propter præmia, Cæsar; propter te populus præmia, Cæsar,*

amat. Cæterum potest etiam Deus amari propter beneficia, dummodo non ob ea præcipue ametur: sed paratus sis amare ipsum, licet non beneficeret.

Alia omnia propter ipsum diligenda sunt, quia per ipsum bona sunt (præsertim proximus noster, qui est ipsius Dei imago) et sine ipso bona non sunt. Hinc debemus Deo totum cor nostrum, quia in ipso et ab ipso est omne bonum. Quare si quis aliquid non propter Deum amat, dividit cor suum, et partem ejus creaturæ impendit, Deoque suffuratur: unde S. Aug. l. X. conf. c. XXIX. inquit: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Ideo præcipit Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

III. Diligendus est super omnia; non quidem intensive seu ardentiore et intensiore amore. (Hoc enim licet sit optimum et laudabilissimum, nullibi tamen præceptum est, nec mirum, quia est res perdifficilis, propterea quod amoris intensio pendet a forti apprehensione boni amabilis, adeoque a vehementi motu phantasiæ et sensibus; Deus autem quia est summe spiritualis, sub sensum non cadit; unde fit naturaliter, ut bona spiritualia qui tenuiter movent phantasiam, tenuiter etiam diligantur: corporalia vicissim fortiter.) Sed appetitive, ita ut potius malles omnia perdere quam Deum; rursum omnia potius offendere quam ipsum; denique, ut ei et quidem soli optes omne et summum bonum, (amare enim est bonum velle, teste Arist. l. II. rhet. c. IV.) ut scilicet semper sit omnipotens, æternus, immensus, beatissimus, justissimus, ab omnibus colatur, ametur, etc. Hoc modo pater plus diligit filium suum natu majorem strenue laborantem, et futurum aliquando domus suæ columnen, quam filium puerum licet huic plura amoris signa exhibeat, magisque blandiatur quam alteri; unde, si alterum perdere deberet, mallet haud dubie perdere minorem. Atque hæc amandi ratio prior est nobilior, quia propria hominibus: certior item et imbecillitati nostræ accommodatior; quamquam si ad hanc accedat etiam prior, tunc fit nobilissima.

Quare si quis cogitet aut statuat potius mori fame quam vivere ex male partis: potius pati uxorem importunam, quam ejus desideriis obsequi offenso Deo: potius mori, quam convalescere ope dæmonis: potius perdere famam, quam honorem Dei offendere, ille est, qui diligit Deum. Qui vero, hæc cum Dei offensa querere et conservare non timet, nequaquam Deum diligit.

IV. Constante est amandus. De vero enim amico ait Sapiens, Prov. XVII. *Omnis tempore diligit qui amicus est.* In quem locum Beda inquit: *Qui Dominum vere amat, omni tempore ejus custodit amorem neque in angustia passionis deserit, quem in pacis tranquillitate confessus est.* Charitas est aurum, quod per ignem probari debet, et si verum ac genuinum est, non consumitur, sed perficitur. Quare si exurgat contra te ignis tribulationis, morbus, egestas, grando, inimicus, persecutio Turcæ vel hæreticorum, sinistri eventus et perturbaciones, quæ prima fronte videntur ostendere Deum minus bonum, providum, sapientem, justum, adeoque minus dignum quia ametur et colatur: tunc, inquam, auream tuam ostende charitatem, et cogita primo, Deum esse medicum tuum optimum, probeque scientem, quid tibi expediat: ea quæ aversaris, plerumque pharmaca tua esse, uti sunt inimici, morbi, paupertas, etc. noxia tibi non nisi per tuam imprudentiam fieri quo modo: *Creaturæ in muscipulam factæ sunt pedibus insipientium,* Sap. XIV. Secundo, hæc et longe majora centies te promeritum, ut merito debeas dicere: *Non secundum peccata nostra fecit nobis,* Ps. CIII. Habent etiam justi suos quoque nævos, a quibus perpurari debent ejusmodi flagellis. Mali vicissim nulli sunt, qui non aliquid boni habeant, quod præmiari debeat. Tertio, ex ejusmodi malis erui multa bona; purgantur enim fideles, instruuntur, fiunt cautiores. Quarto, ea quæ nobis minus recta videntur, quia minus perspecta sunt, patefacienda suo tempore et omnium judicio fore comprobanda; sicuti cum pictura involuta tota explicatur, quæ prius ex parte tantum aperta videbatur inconcinna. Porro habitualiter saltem seu secundum internam mentis affectionem semper amandum est, quod facis, dum es in gratia. Actualiter autem semper amari a nobis nec debet nec potest, quia et aliarum rerum curam gerere debemus. Certa tamen tempora sunt, quibus potissimum exerceri charitatis actus debent. Primum, quando ad illum exstimulant concionatores, proponendo tibi eximia Dei beneficia: secundum, cum a Deo accipis insigne aliquod beneficium, ut cum eriperis e grandi periculo vel gravi tribulatione; uti fecit David in die, qua eripuit cum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, cum dixit: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus,* Ps. XII. tertium, dum s. eucharistiam suscipis; decet enim, ut tanto hospiti quam potes, ornatissimum præpares habitaculum, quod facies inaurando cor tuum aurea